



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



23  
COLLEGII SECUNDI  
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO VIII.

continens

ANTIΘΕΣΙΝ ARTICULI IV.

De *QUÆSTIONE*

An habituali sive inhæ-  
rente Justitia coram DEO  
justificemur,

*Proposita*

In inclutâ Electorali Academiâ V Vittebergenſi,

*P R Æ S I D E*

JACOBO MARTINI, SS. Th.

D. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito:

*R E S P O N D E N T E*

M. DAVIDE MALICHIO

Gryphembergâ Pomerano.

*Habebitur in Auditorio Collegii Veteris*

*Ad diem 30. Augusti.*

---

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,

ANNO M DC XXIX.

COLLEGIUM SECONDI  
IN AUGUSTANAM CONFESSIOMEM

DISPUTATIONUM

CONTINENS

ARTIUM RITHMICARUM

DE QUATUOR

AN HABITUUM IUCIUM

REPERI IUSTITIA CORAM DEO

IUSTITIAM

IN SOLA BONA FIDE

JACOBO MARTINI SS. TH.

DR. THEOLOGICI PUBL. PROFESSORIS

IN ACADEMIA

M. DAVIDE M. A. LICHIO

GRADUANDO

HABITUUM IN ACADEMIA

WITTENBERGAE

IN ACADEMIA

ANNO MDCCLXXII





### Continuatio.

**A**Tque sic sufficienter, ni fallor, egimus de prima quaestione, qua statuimus, *in Justificatione non penitus tolli peccata, sed regi penitus & non imputari*: Argumenta q; contra illam à Becano allata, trutinâ verbi Dei examinavimus & refutavimus; Consequens est, ut ad proximè subsequentem & in ordine secundam nos accingamus, qua quaeritur, & statuimus nos: *Justitiam habitualem nostram ES nobis inherentem non esse justitiam illam, quâ justificamur coram Deo, sed justificari nos solâ Christi justitiâ nobis imputatâ*. Ubi ad duo attendendum. Primum, quomodo Jesuita statum controversiæ formet: Et deinde, quomodo quaestionem in duas partes dividat, ac seorsim de Justitia inherente, ac deinde de justitia imputativâ agat. Nos præeuntem Jesuitam sequemur, omnia ordine visuri & examinaturi: Is, qui Justificationis nostræ autor est, Spiritus Sanctus, porrò sua gratia & assistentia nos ducet in omnem veritatem.

### THESES.

I. Initio statum Controversiæ ita proponit ac format Becanus quaest. 2. §. 1. *Secunda propositio est: In Justificatione non infunditur gratiam & justitiam inherentem, qua homo interius renovetur, & in se fiat justus & sanctus, sed tantum imputari illi externam Christi justitiam, qua extra se justus esse censeatur. Assertitur a Calvino l. 3. inst. cap. 11. §. 23. his verbis: Vides non in nobis sed in Christo esse justitiam nostram. Et c. 16. §. 1. Quare ergo fide justificamur? quia fide apprehendimus Christi justitiam,*

tiam, qua unà DEO reconciliamur. Et in antidoto Concilii Trident. sess. 6. ad cap. 8. falsum esse contendo, ullam justitiæ partem in qualitate sitam esse vel habitu, qui in nobis resideat.

II. Ubi notandum statim est, Becanum statum Controversiæ non rectè formare. Non enim inter nos & Pontificios quæritur, An homini justificato, vel etiam, an in justificatione, unatùm justitiæ Christi imputata infundantur à Spiritu S. donæ habitualia & sanctæ qualitates. Id sanè à nobis nunquam negatum est, Quandoquidem justificationem statim sequitur & concomitatur sanctificatio, quæ non est sine donis habitualibus & infusis: Et ipsa justificatio non fit sine verâ Dei notitiâ, sine assensu & fiducia; quæ sanè qualitates sunt & motus cordis nostri. Verum negamus, illas qualitates ingredi causaliter actum justificationis nostræ; cum sint meræ conditiones à DEO ad hoc ordinatæ & datæ, ut sine illis non velit fieri justificationem, vel sint duntaxat consequentia ipsam justificationem.

III. Verus ergo status Controversiæ est: An habituali sive inherente justitiâ nostra coram Deo justificemur; An verò justificatio nostra sit sola imputatio justitiæ Christi, credimusq; & ex immotis verbi Dei principiis demonstramus, nos non justificari coram DEO habituali sive inherente justitiâ nostra; Sed justificari alienâ justitiâ, nempe solius Christi, nobis per fidem imputata.

IV. Paragrapho 2. quæstionem sive propositionem nostram in duas dividit partes Becanus: *Propositio hæc, inquit, duas habet partes: Vnam de justitiâ inherente, quam negat: Alteram, de imputativâ, quam asserit.*

V. De prima parte priore loco agit Jesuita, illamq; refutare satagit duplici argumentorum genere. Primum enim ex Calvino contra Calvinum; deinde ex S. Scripturâ disputat.

VI. Ex Calvino duo depromit argumenta. Prima (inquit Becanus) refellitur variis modis. Ac ne longè abeam, ex ipso Calvino refelli potest. Nam in libro de vera ratione reformandæ Ecclesiæ, non longè à principio, sic habet: *Nunquam reconciliamur DEO, quin simul donemur inherente justitiâ. Quid clarius? Deinde non negat Calvinus infundi homini donum fidei. Hoc autem donum, cum sit firmatum & permanens,*  
teste.

teste Calvino, non potest esse in alio predicamento quam in qualitate. Habemus ergo infusionem unius doni, seu Qualitatis.

VII. Quod attinet r. ad verba Calvini, si aliquid ex illis contra Orthodoxam nostram sententiam concludere velit, argumentum erit huiusmodi. Quicumque non conciliatur DEO, quin simul donetur iustitia inhærente; is justificatur iustitiâ inhærente: Atqui, nullus justificandus conciliatur DEO, quin simul donetur iustitia inhærente: Ergo, omnis justificandus justificatur iustitia inhærente.

VIII. Quis verò majorem concederet Becano, cum manifestam contradictionem involvat. Quod enim tantum comitatur justificationem, & ita tanquam aliquid concomitans simul cum ea fit; id non est pars justificationis: Nam quod ut pars justificationem ingreditur, & ad eam constituendam pertinet tanquam pars, non dicitur ita simul & seorsim fieri, quando justificatio fit: Sed justificatio dicitur fieri, quando id fit: Et id dicitur fieri, quando justificatio fit. Multominus id, quod ad justificationem accedit tanquam causa, dicitur simul tunc fieri, quando justificatio fit. Nam causam esse constituentem alicujus, & simul cum eo fieri, contradictionem implicat: Cum causæ semper sint priores effecto constituto. Hinc justificatio non dicitur simul fieri cum sua causa, sed dicitur fieri vel ab ea, tanquam ab efficiente, vel propter eam tanquam propter finem, vel per eam tanquam per formam, vel in ea, tanquam in materiâ. Major ergo quoad veritatem æquipollet huic assertioni: *Flores in arboribus non nascuntur sine foliis; Ergo folia sunt de essentiâ florum, vel hos ut causa constituunt.* Quam sanè nemo sanus concedet.

IX. Nequaquam igitur mens Calvini est, hominem justificari, sive in justificatione justos nos fieri inhærente qualitate sive iustitia; Sed hoc dicit, Justificationem insolubili nexu conjunctam habere renovationem: Ut enim ortus Solis inevitabili nexu conjunctum habet diem; neque tamen dies est ortus solis: neque ortus solis est dies: Sed dies est effectus ortus solaris: & ortus solaris est causa diei: sic quando sol iustitiæ

Christus in nobis exoritur, & sua iustitia applicatâ nos justificat, statim quoque dies in cordibus nostris, quæ est ipsa renovatio, sanctificatio, & operum bonorum studium, lucet, tanquam necessarium consequens & concomitans justificationem, non tanquam illam ingrediens.

X. Fidem, quod attinet, omnino illa est donum DEI, & nobis infunditur à DEO, nempe à Spiritu S. per auditum verbi *Rom. 10. v. 17.* in cordibus nostris excitatur & generatur. Hoc enim est quod Paulus dicit *2. Theff. 3. v. 2.* *Fides non est omnium,* quia nimirum DEI donum sit. Non etiam negamus, quod Fides, in se considerata, sit qualitas, proindeq; in prædicamento Qualitatis: Quod autem tantum in hoc prædicamento sit, negamus: Quandoquidem etiam in actione est: Quatenus fiducia magnâ ac certâ immotaq; apprehendit meritum Christi, si-ve, est apprehensio meriti Christi: In hac actione fundatur tertio relatio ad ipsum meritum, quæ etiam dicitur apprehensio si-ve applicatio. Quandoquidem relationes in actionibus fundatæ, plerâq; idem retinent nomen cum suo fundamento. Ut, Locatio, Conductio, Promissio, &c. Certum ergo est, & firmiter credimus, quod neque fides ut Qualitas, neque ut actio nos justificet, sed ut Relatio, nempe respectu termini, quem apprehendit, qui est meritum & iustitia Christi.

XI. Exempli causâ; Manus mea, quâ applico emplastrum vulneri, dicitur sanare vulnus, non quatenus est substantia & in categoria substantiæ, neque quatenus est in actione, & jam applicat: Nam nulla virtus sanandi est in illa actione & applicatione: Sed ut tandem in relatione & respectu constituitur, ita dicitur sanare, nempe in respectu ad terminum, hoc est, emplastrum, quod applicat, quodq; in se habet solum hanc virtutem sanandi, proindeq; ex ipso & nequaquam ex manu egreditur sanandi *ἐπέχει* in vulnus, ut fiat consolidatio & tandem sanatio.

XII. Ut ergo hic concludere non possum: Manus mea est substantia; Ergo, ut substantia & sic per se sanat vulnus, in se nimirum virtutem sanandi habens: Nequaquam, ajo, id sequi:

qui:



qui: cum neque virtutem sanandi habeat, ne que *credebat*: Sic nulla est Consequencia: Fides est qualitas: ergo ut Qualitas justificat, & ut qualitas in se justificandi virtutem habet. Et hæc diserta sunt.

XIII. Progređitur Becanus ad secundum argumentum: Secundo, inquiring; admittit Calvinus cum hoc dono annexum esse donum Spei & Charitatis. Et quidem de dono spei sic habet lib. 1. Inst. cap. 2. §. 42. Vbiunque viva erit hæc fides, fieri non poterit, quin spem æternæ salutis comitem secum habeat individuan. Similiter de dono charitatis lib. 3. cap. 11. §. 20. Fatemur cum Paulo non aliam fidem justificare, quam illam charitate efficacem. Et in antidoto Concil. Trident. sess. 6. ad can. 9. Fidem non fingimus charitate vacuam. Hinc sequitur ex sententia Calvinus, infundi nobis tria dona supernaturalia, quibus animus renovatur, nempe fidei, spei, & charitatis. Hæc autem dona distincta esse, docet Apostolus 1. Corinth. 13. v. 13. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem harum est charitas. Hinc ulterius colligitur, præter hæc dona infundi etiam alias virtutes, quæ charitati annexæ sint, juxta illud 1. Corinth. 13. Charitas patiens est; benigna est, non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Ecce quot & quantis virtutibus renovatur animus in justificatione. Hæc si negat Calvinus, seipsum & Paulum negat; si admittit, seipsum jugulat.

XIV. Sic ergo argumentatur Becanus: Qui concedit, fidem nobis infundi, simulq; admittit, fidem conjunctam habere charitatem & spem; is utique concedat & largiatur, oportet, tria dona spiritualia nobis infundi, fidem, spem & charitatem, quibus renovamur: Atqui, Calvinus concedit, fidem nobis infundi, simulq; admittit, fidem conjunctam habere charitatem & spem: Ergo, necesse est, Calvinus concedat & largiatur tria dona spiritualia, Fidem, Spem & Charitatem, quibus renovamur, nobis infundi: Et per consequens præter hæc dona etiam infundi cæteras virtutes, quæ charitati annexæ sunt &c. & illis quoque hominem renovari.

XV. Concedere possumus totum argumentum; laborat enim ignoratione Elenchi, dum putat Becanus, conclusionem nostræ thesi contradictoriè oppositam esse; cum interim cum illa rectè consentiat, nunquam enim negavimus, justificatos virtutibus renovari; sed omninò id statuendum ac defendendum esse docemus & inculcamus. Distinguendum autem est inter Renovationem & Justificationem, tanquam inter arborem & fructum, antecedens & consequens. Non ergo Paulus aliquid contra nos negat, neque Calvinus se jugulat.

XVI. His ita expeditis, progreditur Becanus ad argumenta ex scripturis petita. Sic ergo pergit §. 3. *Atq; hæc abundè sufficerent ex Calvino ad Calvinum refellendum. Addam tamen ex scripturis alia argumenta. Primum sumi potest ex illo Eph. 4. v. 24. Renovamini spiritu mentis vestre, & induite novum hominè, qui secundum DEUM creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Et ad Coloss. 3. v. 9. Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum. Hic hortatur nos Apostolus ad interiorem animi renovationem. In quo hæc consistit? Ut redeamus ad illum statum, ex quo per peccatum Adæ excidimus. Et quis fuit ille status? Omittam scripturas, ex solo Calvino explicabo. Is lib. 2. Inst. cap. 1. §. 5. ait: Postquam in Adamo oblitterata fuit cœlestis imago, non solus sustinuit hanc pœnam, ut in locum sapientie, virtutis, sanctitatis, veritatis, justitie, quibus ornatus vestitus erat, teterrime cederent pestes, cecitas, impotentia, impuritas, vanitas, injustitia &c. Habemus ex Calvino, in illo statu, quem peccando amisimus, fuisse hominem ornatum sapientia, virtute, sanctitate, veritate, justitia. Ad hunc statum redimus per merita Christi, qui nos, ut verbus Calvinus, lib. 1. Inst. cap. 15. §. 4. utar, in veram & solidam integritatem restituit. Ergo per Christum acquirimus & recuperamus sapientiam, virtutem, sanctitatem, veritatem, justitiam, quæ sanè est interior animi renovatio, quam quærimus. Nisi velit Calvinus, suos filios carere hæc renovatione, & teterrimis pestibus infectos manere, cecitate, impotentia, impuritate, vanitate, injustitia.*

**XVII.** Discursus hic tria complectitur argumenta: Primum in forma resolutum hoc modo procedit: Per quæ renovamur, per illa justificamur: Per justitiam & sanctitatem inhaerentem renovamur: Ergo etiam per easdem virtutes justificamur. Negavimus hactenus constanter majorem: Et nihil quicquam ejus probatur dictis adductis Paulinis, *Ephes. 3.* & *Coloss. 3.* Sed duntaxat confirmatur illius minor, quam vel sine probatione admittimus: nempe libenter concedimus, sapientiam, virtutem, sanctitatem, veritatem ac justitiam inhaerentem hominem justificatum formaliter renovari, idque indies magis magisque: Sed de hoc inter nos non volvitur quæstio: Sed de formali justificationis ratione disceptatur, hanc probet in virtutibus inhaerentibus consistere.

**XVIII.** Alterum argumentum in forma resolutum, est: Quod per Christum acquirimus & recuperamus, per illud justificamur: At sapientiam, virtutem, sanctitatem, veritatem, per Christum acquirimus & recuperamus: E. per sapientiam, virtutem, sanctitatem & veritatem justificamur.

**XIX.** Quis concederet Jesuitæ Majorem? Annon per Christum etiam acquirimus & recuperamus vitam æternam? Estne propterea vita æterna formalis ratio nostræ justificationis? Credat Judæus Apella: Justificationis fructus & consequens est vita æterna, non formalis ratio; sic quoque virtutes illæ & tota hominis Renovatio.

**XX.** Tertio & hoc argumentum verbis Becani involvitur. Quæ est interior nostra renovatio; quam quærimus, illa etiam est nostra justificatio: Atqui, virtus, sanctitas, veritas, justitia, quam per Christum acquirimus, est interior nostra renovatio: Ergo, virtus, sanctitas, veritas, justitia est nostra justificatio.

**XXI.** Rursus Major laborat & falsa est, ut id centies demonstratum hactenus, nec est, cur actum agamus.

**XXII.** Sequitur nunc alterum argumentum §. 4. Ubi primum dicta Scripturæ proponit: Et deinde ex illis quatuor quæstiones movet, sic ergo pergit: *Alterum argumentum sumitur ex*

B

illo

illo 1. Cor. 3. v. 16. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Et 1. Cor. 6. v. 19. *Membra vestra templum sunt Spiritus S. qui in vobis est.* Et 2. Cor. 6. v. 16. *Vos estis templum Dei vivi.* Et addit Jesuita: Hic singula pene verba vim habent.

XXIII. Omnino verba illa Emphatica sunt, & magnam vim habent, sed non probandi id, quod Becanus intendit, & cujus gratia illa adduxit: Nihil enim in omnibus tribus illis locis agitur de Justificatione. Nam quod attinet ad primum dictum ex 1. Cor. 3. v. 16. desumptum, ibi scopus Apostoli est attendendus, qui gravissimam admonitionem instituit de servanda Ecclesiae unitate & vitandis scandalis, sumpto argumento ab eo, quod Corinthii sint templum Dei: Sic ergo argumentatur: Omnibus gentibus usitatum fuit, templa religiosè & mundè custodire: Ecclesia vero Christi est verum Dei templum, de quo dicit Dominus; Ego habitabo in vobis, Exod. 25. & 29. Deus enim illi adest praesentia speciali & gratiosa, Et Spiritus Dei habitat in cordibus credentium, accendens in eis novam vim Sapientiae, & agnitionis, fidei, spei, patientiae, invocationis. Quare in verbis hisce est primum Apostoli argumentum, quo non vult probare membra Ecclesiae formaliter justos esse inhaerente justitia, sed hortari, Ecclesiam non esse contentionibus & scandalis perturbendam.

XXIV. Unde sic argumentamur; Qui serio ac fideliter hortatur Christianos abstinere à contentionibus & scandalis; ille testatur Christianos, licet templa sint ac dicantur Spiritus S. inclinatos esse ad contentiones & scandala: vel etiam actu Ecclesiam contentionibus perturbasse: Atqui Paulus hic justificatos, quos templum Dei vocat, serio ac fideliter hortatur abstinere à contentionibus & scandalis: Ergo Paulus testatur, justificatos, templa illa Spiritus S. inclinari ad contentiones & scandala. Hæc verò inclinatio ad actualia peccata, nihil est aliud quam internum peccatum, & vitiosa concupiscentia hærens in nostris membris.

XXV. Major est certa: Alias enim frustra esset dehorta-

hortatio Paulina. Minor quoque manifesta est ex intentione Apostoli, quæ in textu clara & perspicua est. Atque sic demonstratum esse constat, Paulum nihil quicquam agere de justificatione, sed de studio bonorum operum, & sic de renovatione magis magisque urgenda, & peccatis, quibus Spiritus sanctus contristatur, vitandis.

XXVI. Sic in altero dicto, ex ejusdem epistolæ c. 6. v. 17. rursus scopus Apostoli est bene observandus & in conspectu habendus. A v. 12. usq; ad finem capituli instituit Apostolus dehortationem à sæda libidinum licentia, quam Corinthii prætextu libertatis Christianæ usurpabant. Invaluerat enim inter gentes profana opinio de simplici scortatione, quasi ea peccatum aut omnino non esset, aut certè tam leve, ut propemodum suâ naturâ veniam mereatur. *ἀσβέβαια* hanc inter Christianos ex gentibus conversos, confirmabat doctrinæ de libertate Christianâ pravus intellectus, atque abusus, quo ex sublato discrimine ciborum in N. Testamento, simul etiam leges pudoris & castitatis laxatas esse, stultè ratiocinabantur.

XXVII. Huic objectioni primò occurrit Paulus, ita largiendo antecedens, ut consequentiæ nervum incidat: Verum est, inquit, v. 12. omnia mihi licent in cibo & potu, sed non omnia expediunt, non modo ratione corporis, quod nō omnibus cibis ali potest, sed cum primis respectu proximi, qui sæpe intempestivo usu rerum sua naturâ licitarum offenditur. Consimiliter omnia mihi licent, cum regnū Dei non sit in cibo & potu, Rom. 14. v. 18. ac proinde in nullius falsi fratris potestatem redigar, quasi illius causa libertas Christiana sit violanda.

XXVIII. Rationem hujus libertatis in cibo & potu subjungit v. 13. Escæ ventri destinatæ sunt, & venter recipiendis & digerendis cibis est conditus, & utraq; mutuo tantisper sibi deserviunt quoad ea Dominus morte hominis destruat.

XXIX. Atque hætenus de Antecedente: Deinceps consequens examinat Apostolus, & monstrat rationem diversitatis inter ciborum & libidinum licentiam, idque sex argumentis, quorum primum est à contrariis finibus, adhuc. *vers. 13. & 14.*

*Secundum ab honesto v. 15. Tertium ab utili v. 17. & 18. Quartum à beneficio sanctificationis v. 19. Quintum à beneficio redemptionis v. eodem: Sextum ab utili v. 20.*

XXX. Continent ergo verba, à Becano, allegata, quintum argumentum à beneficio (ut diximus) sanctificationis ductum, qua credentibus à Deo datur Spiritus sanctus, habitans in animâ & corpore, totiusque hominis renovationem inchoans, si ergo corpora credentium templa sunt Spiritus sancti, sacrilegium est, ea fæda libidine conspurcare.

XXXI. Ex quibus manifestum est, neque hoc loco agere Apostolum de Justificatione, sed de renovatione, nihilque aliud facere, quam quod illos, qui erant renati & justificati, hortatur, ut abstineant à fædissimo scortationis vitio. Sic ergo argumentamur. Quicumque arbitrantur, per libertatem Christianam, simplicem scortationem esse Christianis concessam, & proinde libertate hac abusi & errore hoc decepti, corpora sua fæda libidine conspurcant; illi non sunt sine gravissimis peccatis: At, Ecclesia Corinthiaca renata & justificata, arbitrabatur per libertatem Christianam, scortationem esse Christianis concessam, & multi illa libertate abusi & errore hoc decepti, corpora sua fæda libidine conspurcabant: Ergo Ecclesia Corinthiaca renata & justificata non fuit sine peccatis.

XXXII. Major est vera, est enim error non exiguus, existimare, scortationem Christianis concessam esse, pertinereque ad libertatem Christianam: & adhuc majus & gravius delictum, imo sacrilegium est, corpus suum, quod est templum Spiritus sancti, fæda libidine conspurcare. Minorem quod attinet, licet in Ecclesia Corinthiaca non omnes sese turpissimis libidinibus mancipient, erat nihilominus communis opinio, liberum esse, scortari: Proindeque in turpissimum hoc vitium omnes consenserunt. Qui sane error & peccatum est, & excusari nequit: Jam vero de his expressè dicit Paulus, qui sunt templa Spiritus sancti, monetque, ut diligenter hunc statum suum perpendant, crassum illum errorem.

rorem corrigant, caste vivant, quo Spiritus S. indies magis magisq; renovando animas ipsorum & corpora, in ipsis efficax sit & habitationem suam continuat, ipsosq; in omnem veritatem ducat. Ergo etiam sanctissimi in Corinthiaca Ecclesia in hoc fuerunt errore & sic peccatis inquinati.

XXXIII. Eodem modo dictum 2. Cor. 6. v. 16. ut totum caput, nihil agit de justificatione, sed i. exhortatur ad bona opera, 2. monet tempus gratiae non negligendum, & tandem jubet, idololatrias fugiendas esse, atq; ad hanc postremam partem allegatum dictum pertinet, nihilq; aliud docet, quam quod illi, qui sunt justificati, & ii, quibus à Deo datus est Spiritus S. habitans in anima & corpore, totiusq; hominis renovationem inchoans, non possint simul vero Deo & idolis servire.

XXXIV. Consequens nunc est, ut videamus ordine quatuor quaestiones, ex dictis allegatis derivatas & motas. *Primum*, inquit Becanus, *queri potest: Quare non Pater, non Filius, sed Spiritus sanctus nominatus sit? Res non caret mysterio: nimirum agebatur de sanctificatione, qua ad Spiritum sanctum attinet.* Inde digressionem facit discutendo de tribus Personis Trinitatis, *quod Patri potentia, Filio sapientia, & Spiritui sancto sanctificatio tribuatur.* & tandem concludit: *Apostolum non aliam ob causam dixisse. Spiritum sanctum habitare in hominibus justis, nisi quia voluerit significare, homines justos renovari & sanctificari à Spiritu sancto per infusam gratiam donorum supernaturalium.*

XXXV. Respondemus, vagari Jesuitam extra oleas, & verum nervum Disputationis non tangere. Confundit enim, more suo justificationem cum sanctificatione sive renovatione. Quis negat in homine jam justificato inhaerentem esse & habitualement justitiam? Quis it inficias, hominem justificatum esse templum & officinam Spiritus sancti, in qua non otiosus sed negotiosus, veritatem, justitiam, dilectionem, sanctificationem operetur? sane hoc fatemur omnes: Negamus autem nos inhaerente illa justitia ex virtutibus habitualibus coram Deo formaliter justificari. Hoc confutare debebat, quia à nobis assertitur & à Pontificiis negatur.

Illud, quia extra controversiam est, probatione non indigebat. Ignorantem ergo Elenchi rursus committit Jesuita, & male disputat.

XXXVI. Secundo queri potest, pergit Becanus, quare spiritus S. non dicatur esse, sed potius habitare in justis? Aliud est esse in domo, & aliud in ea habitare. Qui habitat, habet ibi thesauros. Thesauri spiritus sancti non sunt alii, quam charitas, sanctitas, justitia. Ut ergo (concludit) Deus pater olim habitabat in medio Israelitarum per potentiam, qua faciebat signa & prodigia & tuebatur populum: & Christus habitat in Ecclesia per sapientem gubernationem & veritatem fidei: sic spiritus sanctus habitat in justis per castitatem, justitiam & charitatem, quippe in quibus solis esse potest sanctitas, justitia.

XXXVII. Initio, quæ hic distinctis personis distinctè tribuuntur, concedere possumus, si rectè, hoc est, non exclusivè, intelligantur. Nam Christus quoq; dicitur Eductor populi Israelitici ex Ægypto, quem tentaverunt in deserto 1. Cor. 10. v. 4. 9. Itemq; nostra sanctificatio 1. Cor. 1. v. 30. Et Jehovah dicitur auferre iniquitatem & prævaricationem & peccatum Exod. 34. v. 7. & Dominus justus & salvans non esse præter Jehovahm Esa. 45. v. 21. Nam licet opera hæc externa diversimodè distinctis Personis Divinitatis tribuantur: Est tamen omnium una causa, non tres causæ distinctæ vel sociæ. Ut enim unus Deus, sic una potestas & virtus, unaq; causalitas principaliter agens, & Deū, sicque omnes tres personas, ut unicum agens, in ratione causæ constituens.

XXXVIII. Deinde, concedimus totum, spiritum S. non nisi in justis habitare, per hoc enim, quia justis sunt, gratam spiritui sancto sese exhibent ac suppeditant habitationem, in qua postmodum suos thesauros habeat ac custodiat. Sed queritur, quomodo hæc habitatio fiat justa coram Deo, & sic per illam justificationem grata spiritus sancti habitatio? Ibi altum silentium. Respondemus nos, Justum & sic acceptum spiritui sancto fieri hoc templum per justificationem, quæ est justitiæ Christi imputatio. Ad hoc respondere debuisset Jesuita.



*XXXIX. Tertiò quæri potest (subijcit) quare spiritus sanctus dicatur habitare in nobis, tanquam in templo? Nimirum quia templum locus sanctus est, ac Deo consecratus, &c. Concedimus & hoc, sed nihil ad rem. Quia eam imputatam habet justitiam Christi justificatus, revera sanctus est, etiam longè excellentiore sanctitate quam est ipsorum Angelorū: Est enim, ut Christi justitia, sic sanctitas: quam deinde per inhabitationem spiritus S. sequitur renovatio ac habitualis sanctificatio.*

*XL. Tandem ad ultimam quæstionem accedit; Postremo, inquit, quæri potest, quomodo incipiat spiritus sanctus habitare in nobis. In scripturis invenio hunc modum & ordinem. Primò venit & pulsat ad ostium cordis nostri, quod fit per vocem ejus, Apoc. 3. v. 20. Quod exprimitur Zach. 1. v. 3. convertimini ad me, & convertar ad vos. Haec omnia rectè se habent.*

*XLI. Sed pergit: Simul atq; hanc vocem audiverimus, ingreditur ad nos spiritus sanctus & locum habitationis sibi parat Joh. 14. v. 23. Respondemus; per auditum quidem verbi, tanquam vehiculi sui, descendit spiritus sanctus in nostra corda, non autem ut auditus ille aliquid mereatur, aut efficiat justificationem nostri: sed potius spiritus sanctus agit per illum & sese diffundit in cordibus nostris, sibi que ibi per verbum, spirituales spiritualium suarum actionum officinam sancit, fidem excitat, quâ justitia Christi applicatur, & sic fit justificatio, quam postmodum, spiritu sancto cooperante, renovatio & sanctificatio sequitur.*

*XLII. Pergit Becanus: Quid autem agit in hac mansione? Primum, diffundit se in cor hominis per donum gratiae & charitatis Rom. 5. v. 5. Charitas diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Secundo hac diffusionem expellit omnes peccatorum tenebras, & novam quandam inusitatam lucem introducit 2. Cor. 4. v. 6. Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris. Et Eph. 5. v. 8. Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate. Et 1. Theß. 5. v. 4. Vos autem fratres estis non in tenebris, sed filii lucis estis. Tertiò hac diffusionem restituitur nobis vita, quam per peccatum*  
*ami-*

amissimus 1. Joban. 3. v. 14. Translati sumus de morte ad vitam. Et in hoc consistit regeneratio, cujus in precedente questione mentio facta est. Nam cum antea essemus filii iræ, mortis & damnationis, recipimur filii reconciliationis, vitæ & hereditatis. Propter hanc causam vocat nos Apostolus novam creaturam Gal. 6. v. 15. In Christo Jesu neg, circumcisio quicquam valet, neg, præputium, sed nova creatura. Et alibi hortatur nos, ut in novitate vitæ ambulemus. Quarto hæc eadem diffusione & vindicamur à servitute & in libertatem restituumur. Nam, ut ait Apostolus Rom. 8. v. 2. Lex Spiritus vitæ in Christo Jesu, liberavit me à lege peccati & mortis. Et 2. Corinth. 3. v. 17. Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Et Gal. 4. v. 31. Non sumus ancilla filii, sed libera.

XLIII. Ad singula respondebimus breviter. Quod addictum Rom. 5. v. 5. agit Paulus de spe justificatorum, quod ea certa sit, ejusq; causam hoc versu ostendit; quod nimirum immoto nitatur fundamento, Charitate Dei, quæ non modo in nos fit diffusa opulenter, sed etiam per Spiritum sanctum velut certissimum sigillum in cordibus nostris obsignata. Spes autem hæc pertinet ad fructum justificationis, de qua egerat in precedente v. 1. Justificati fide, &c. Ad quæ verba Hieronymus: Pertrahatâ causâ, quare nemo eorum ex operibus justificatus sit, sed omnes ex fide: quod exemplo Abræhe probat: cujus se filios esse soli Judæi putabant: ostendit ratione, quod non genus nec circumcisio, sed fides faciat filios Abræhe: qui ex sola prima fide justificatus est. Qua ratione conclusa, pacem, nos habere hortatur: quia nemo suo merito, sed omnes equaliter Dei gratia sunt salvati.

XLIV. Pontificii quidem & hic Becanus, charitatem intelligunt de nostra dilectione erga Deum, verum contrarium suadent antecedentia & consequentia: Ubi Dei ergo nos dilectio & beneficia, non contra, celebrantur, & in illis totum fundamentum spei nostræ collocatur. Idem quoq; volunt pleriq; Patres. Ambrosius in hunc locum: Pignus Charitatis Dei habemus in nobis per Spiritum sanctum datum nobis. Fidele enim esse promissum Dei, probat Spiritus sanctus datus Apostolis & nobis, qui diversis linguis præstitit, ut imperiti loquerentur, cum interpretationibus.

bus, ad confirmandam spem, & ut charitatem Dei commendaret in nobis, ut, quia charos falli impossibile est, securos nos faceret de promissione, quia & Deus est qui promisit: & iis, quos charos habere vult, promisit. Chrysostomus etiam in hunc locum: Non dicit, quoniam data est, sed quoniam diffusa est in cordibus nostris, ut largitatem & abundantiam manifestet. Donum quippe tale dedit, quod esset maximum, non cælum, non terram, non mare, sed quod istis omnibus preciosus est, quoque ex hominibus & angelos & filios Dei, fratresque Christus fecit. Et mox: Nunc vero dilectionis sue favorem hinc potissimum ostendit, quod non paulatim nos & modicè honoravit, sed simul bonorum quasi fontem, dilectionem suam in nos effudit, idque priusquam esset certatum. Noli itaque, etiam si non admodum dignus fueris, animum despondere, cum habeas tam ingens patrocinium iudicis, videlicet, dilectionem. Propterea quippe & ipse Apostolus cum dicit, spes non confundit, non rectè factis nostris, sed dilectioni D.E. rem omnem acceptam fert. Sic quoque exponit Theophylactus. Item Cajetanus & Dominicus Soto, &c. vid. disp. 4. th. 61. 62.

XLV. Deinde expelli hac in vita omnia peccata ex membris nostris, non dicitur vel probatur subsequenter dictis Paulinis. Nam 2. Cor. 4. & quidem v. 3. incipit Apostolus Paulus respondere ad objectionem. Si tanta est lux Evangelicæ doctrinæ, quanta à Paulo prædicatur, qui fiat, quod non omnes per eam illuminentur, neque ubique omnes huic præconio assensum præbeant: simulque monstrare veram causam tum cæcitate inobedientium, tum illuminationis credentium. Primum veram causam cæcitate inobedientium ostendit Paulus v. 3. & 4. nempe culpam non herere in doctrinam ipsam, quæ sit & simplex & perspicua; sed partim in malitia hominum, veritatem averfantium, partim in Satanâ, illos in hac pertinacia obfirmante, sensusque eorum efficaciter excæcante. Deinde à se removens arrogantiam crimen Apostolus v. 5. 6. suæ nimirum prædicationis scopum non esse, ut se ipsam prædicet, aut commendet, sed ut gloriam illustret Jesu Christi, simul veram causam ostendit illuminationis credentium v. 6. non eam esse in viribus ingenii ac sapientie humanæ, non in proprio studio aut cursu sitam, sed in solius

C Dei

Dei miserantis gratiosa operatione *Rom. 9. Deus, inquit, qui dixit de tenebris splendescere lucem, ipse illuxit in cordibus nostris.* Quo confert lucem primævam cum luce spirituali Evangelica: sicut primo creationis die, cum tenebræ essent super faciem abyssi voce Dei mandantis prodiit lux, quæ molem recens conditam illustraret, *Gen. 1. v. 3.* ita Deus in novissimis hisce temporibus orbem terrarū horrēdis Ethnicæ superstitionis ac idolomania, partim quoq; Judaicæ cæcitatatis tenebris immersum, repēte nova luce Evangelii collustravit, quo accendit in cordibus salvificam agnitionem gloriæ suæ. Manifestum ergo est, hunc locum nihil ad rem facere.

XLVI. Idem statuendum de loco ex epistola ad *Eph. 5. v. 8.* allegato. Capitis enim hujus quinti parte prima dehortationē ab impietate vitæ & peccatis variis, capite præcedente cœptam, persequitur. Ergo *v. 8.* acuit suæ exhortationis stimulos argumento, à contentione status pristini sub Ethnica superstitione, & ejus, in quem nunc per agnitionem Domini nostri Jesu Christi collocati sint, desumpto: monet sedulò perpendere, quod ex tetercima caligine mortis, in clarissimam Dei lucem educti, aliter jam de se statuere, aliterq; ambulare debeant, nempe ut filii lucis, in operibus & fructibus non carnis sed Spiritus: qui fructus Spiritus consistunt in omni bonitate, justitia & veritate, quibus nihil est commercii cum scortatione, immundicie omni, avaritia, obscœnitate, stultiloquiis, &c. Manifestum ergo est, quod Ephesii quidem lux dicantur, non quod nulla in se amplius habeant peccata; sed ob veram Dei cognitionem ac fidei professionem. Non autem omninò à vitiis pravaque concupiscentia eos, & quidem hos ipsos, quos lucem vocat, fuisse immunes, gravis hæc à vitiis dehortatio satis demonstrat.

XLVII. Quid etiam causam Becani juvare possit dictum ex epist. 1. ad *Theß. c. 5. v. 4. 5.* adductum, equidem non video. Nam filii lucis non dicuntur fideles, quod non amplius hæreant in mortifera Dei & Christi ignorantia, sed quod in cordibus illorum accensa sit salvifera lux agnitionis Dei & Christi, quod-

quodq; per fidem in luce ambulent, operaq; non tenebrarum,  
sed lucis atque diei faciant: ut e contrario homines, Dei igna-  
ros & impios nominat filios noctis & tenebrarum, quod ipso-  
rum mentibus offusa sit caligo, ignorantia Dei, & in tenebris  
hujus mundi ambulent, Diabolo excecante corda illorum, ne  
illucescat illis lumen Evangelii gloriæ Christi 2. Cor. 4. v. 6.

XLVIII. Dicto 1. Joh. Epist. 3. v. 14. adhortatur Apo-  
stolus ad dilectionem proximi: quod hinc tanquam ex infalli-  
bili signo, effecto nimirum Spiritus sancti veræque fidei fru-  
ctu, colligere, & nos certos & ἀμετανοήτους, facere possimus,  
nos revera translatos esse à morte ad vitam, ut particula (ὅτι)  
non causalis sit, sed ratiocinativa. Non ergo argumentatur hic  
Apostolus pro Pontificiis, assignando charitatem nostram  
causam translationis nostræ ex perpetua morte in vitam æter-  
nam, ut ita ob nostram charitatem à morte æternâ liberemur:  
sed ostendendo ex charitate fratris, tanquam fructu quodam  
fidei, de fide ipsa, & ex hac tandem de salutari translatione à  
morte in vitam, certiores nos fieri.

XLIX. Dicto ad Gal. 6. v. 15. Apostolus Paulus sententiam  
suam pro asserenda libertate Evangelica & huic connexa gra-  
tuita justificatione hominis c. 5. v. 6. propositam, paulo mutatis  
verbis repetit. Quandoquidem, ut ibi dixerat: *In Christo Jesu*  
*neq; circumcisio quicquam valet, neq; praputium, sed fides per dilectio-*  
*nem operans:* Sic capite hoc sexto ait: *In Christo Jesu neq; circumci-*  
*sio quicquam valet, neq; praputium, sed nova creatura.* Atq; hac si-  
mul locorum collatio declarat, quid per novam creaturam  
Paulus intelligat, nempe hominem, qui Spiritu Dei ad fidem in  
Christum & dilectionem erga proximum est renovatus, atque  
per fidem justitiam Christi apprehendit, & per dilectionem  
fructus justitiæ fidei edit, quæ sunt opera bona.

L. Neq; ergo dicto hoc c. 6. v. 15. neq; illo c. 5. v. 6. commendantur  
nostra opera ac merita, sed gratia Dei, ejusq; in nos benefi-  
cia, quod nimirum Deus non curet externas illas justitias vel  
circumcisionis vel omnium observationum & rituum ac ope-  
rum legalium, Judaicarumque, vel etiam quarumcunque

virtutum ac laudum, à natura hominis profectarum, quas haberent gentiles: sed probat duntaxat novam creaturam, quam ipse ex mera gratia suo spiritu ob meritum filii sui contulit. Ut 2. Cor. 5 v. 17. dicitur in *Christo negligi omnia vetera, & probari tantum novam creaturam, venientem ex reconciliatione Dei ob Christi meritum facta.*

L I. Dicto quoq; ad *Rom. 8. v. 2.* nihil pro se efficit Jesuita, quod ex contextu manifestum est. Differuerat enim Apostolus præcedente capite de regeneratione, atq; suo ipsius exemplo proposito demonstraverat, in hac vitâ esse imperfectam propter peccatum Originis & infirmitates carnis etiamnum adhærentes. Quare ne renati inde colligerent se ob reliquias peccatorum esse iræ Dei & æternæ damnationi adhuc obnoxios, utiq; nunc v. 7. docet & consolatur Renatos, nullam planè condemnationem esse his, qui insiti sunt Christo Jesu, qui non juxta carnem versantur, sed juxta spiritum.

L II. Ubi notetur contra Becanum & cæteros Jesuitas, quod Paulus non dicat, *nullum amplius peccatum superesse Renatis, sed nullam condemnationem;* docens, quamvis extra Christum peccati perpetuus ac individuus comes sit condemnatio; in Renatis, verò & Christo per veram fidem insitis, etiamsi peccatum maneat, abolita tamen sit condemnatio sive Reatus.

L III. De hinc v. 2. à Becano citato, progræditur Apostolus ad causam efficientem hujus, ab omni damnatione liberationis, eamq; facit legem Spiritus, qui significat Evangelium & gratiam Christi, per illud oblatam, quod est potentia Dei ad salutem *Rom. 1.* & confert Spiritum vivificantem in Domino, *Gal. 3.* Sic intelligunt *Ambrosius & Hieronymus.* Dicitur autem lex in Christo Jesu, quia doctrina gratiæ nobis Christum cum suis beneficiis offert. Nihil ergo hic de justitia justificato inherente, sed potius de peccatis remanentibus, sed condonatis, agitur.

L IV. Quod attinet dictum ex *secunda ad Cor. 17. v. 3.* allegatū, tantū abest, ut ex illo capite justitia infusa & inherens nos justificans probari possit, ut manifestum liquidumq; ex illo fiat, vocē justitiæ in artic. justificationis nostræ coram Deo non de infusis virtutibus

virtutum habitibus, sed de absolute in Dei iudicio (factam  
per imputationem iustitiæ Christi, per fidem apprehensæ Rom.  
3. v. 22. & 27. & c. 4. v. 5.) accipi, id ostendit antithesis iustitiæ &  
condemnationis 2. Cor. 3. v. 10. Rom. 8. v. 33. & 34.

L V. Semper quidem dona hæc duo conjuncta sunt in  
homine, imputatio iustitiæ Christi & renovatio ipsa, naturæ  
inhærens, adeo, ut nunquam altera sit sine altera, cum fides in  
homine esse non possit, sine Spiritus sancti operatione interna,  
naturam corruptam renovante, quam Paulus hoc loco v. 18.  
*μετὰ τὸ ἔργον* nominat: interim tamen in justificationis actu  
non confundenda (quod Pontificii faciunt) sed diligenter &  
accuratè distinguenda sunt; ita ut statuamus, non pronuncia-  
ri nos justos corâ Deo propter renovationem in nobis factam,  
sed propter solam iustitiam Christi, fide apprehensam.

LVI. Quare horum verborum (*ubi Spiritus est, ibi libertas*)  
sensus (ut illa orthodoxè interpretatur Hunnius) verus hic est:  
Quando homo per Spiritum Dei conversus, illuminatus & re-  
generatus est, ibi demum intelligit, se ab intolerabili iugo legis  
esse liberum, solius Christi beneficio, qui se nostri loco tum  
obedientiæ, tum maledictioni legis submitit. *Ambrosius* in hunc  
locum: *Quoniam Deus Spiritus est, per Christum legem dedit Spiritus,*  
*non literis utiq; scriptam, sed per fidem animis intimatam: non*  
*quod visibilia doceat, sed invisibilia cordi suadeat: quæ animus spiri-*  
*tualiter colligat, neq; oculus cernat. Hæc lex dat libertatem, solam*  
*fidem* (NB. solam fidem) *poscens.*

L VII. Dictum quoque ad Gal. 4. v. 31. *Ambrosius* nequa-  
quam interpretatur eum Pontificiis, ut dicamur Filii liberæ  
propter inhærentem iustitiam, sed nobiscum, propter remissio-  
nem peccatorum: *Fuimus igitur, inquit, ancilla Filii, dum pec-*  
*catis eramus obnoxii, sed accepta remissa peccatorum à Christo libe-*  
*rati sumus.* Quem secutus Dn. D. Hunnius scribit: *Concludit ergo*  
*Paulus; nos Christianos non esse filios ancilla, sed liberæ: & proinde*  
*non per servitia legi præstita nos salvari, sed per donū liberationis Chri-*  
*sti, qui nos à peccato, morte & inferno redemit, & libertatem here-*  
*ditatemq; filiorum Dei clementer asserit. Id vero sola fide in ipsum no-*

*his contingere docet Johannes in suo Evangelio c. 1. v. 12. Quot quot re-  
ceperunt eum, dedit eis, ut liceret filios Dei fieri, his, qui crediderunt in  
nomen ipsius.*

LII. Progreditur nunc Becanus & s. 8. ad varia no-  
mina recensenda, quibus charitatis donum, in cordibus nostris  
per Spiritum sanctum diffusum in Scripturis denominatur.  
Primum igitur dicit denominari donum hoc charitatis *Gratiā*,  
*non tantum quia gratis detur, sed etiam quia nos Deo acceptos faciat,*  
*idq; probat ex Epist. ad Ephes. 1. v. 6. In laudem glorię gratię suę, in*  
*quę gratificavit nos in dilecto filio suo.* Hoc dicto nihil quicquam  
agit de charitate nobis inhaerente. Haftenus n. Apostolus egit  
de prædestinatione sive electione ad salutem. Cujus finē primū  
principalem respectu Dei consideratum hoc v. 6. subjicit, in-  
quiens; *ut laudetur glorię gratię suę*, hoc est, misericordię suę,  
innuens nimirum Deum opere hoc gratuita Electionis nihil  
aliud venari & assequi, quā immensę suę misericordię ac  
bonitatis laudem atque gloriā.

LIX. Deinde hoc sine ostenso in eodem v. 6. redit ad cau-  
sas explicandas gratuita hujus Electionis; quarum prima est  
summa illa & princeps Gratiā, misericordiā Dei, quam expri-  
mit his verbis: *quia charos reddidit nos.* Ubi illud relativum  
quā, respicit ad gratiā Dei, quā electi sumus, ut sit sensus: Deum  
nos gratiā & misericordiā suā charos reddidisse. Quem sensum  
verum ac genuinum arguit verbum *ἵνα ἐπίτωσιν*. quod (monen-  
te Hunnio) sic gratiosos nos Deo redditos declarat, ut id ipsum  
merum sit & gratuitum Dei munus.

LX. Addit etiam versu eodem Apostolus alteram cau-  
sam electionis efficientem meritoriam, quę est Christus, inqui-  
ens: *ἐν τῷ ἵνα πληρώσῃ per illum dilectum*, nempe filium unigeni-  
tum Dei Patris. Dilexit ergo nos Deus in dilecto, seu propter  
dilectum. Nam statim modum subjungit subsequente versu  
Apostolus, quod per dilectum illum sumus chari redditi. Cum  
enim salvā suā justitiā Deus nos peccatores ita diligere nō pos-  
set, ut ad vitam absolutē sine λύτῃ solutione destinaremur.  
Quare nunc explicat, quodnam λύτῃ illud & redemptionis  
precium



precium fuerit: certè non aurum & argentum, aut alii hujus mundi preciosi thesauri; sed sanguis Christi, in redemptionem hominum effusus: & ut in redemptionem, sic quoque in remissionem peccatorum: quod probè notandum: eo enim rursus omnia nostra opera excluduntur: cum solo hoc λόγος & merito, nempe fide applicato, remissionem peccatorum habeamus & sic justificemur, ut expresse se Apostolus explicat hanc disputationem de electione concludens v. 12. 13. 14. *Qui priores speravimus in Christo*, id est, credidimus nos Judæi, quibus primo Evangelium est prædicatum, & multi ex nobis ad Christum sunt conversi & in ipsum crediderunt.

LXI. *Sperandi* enim vox non significat hoc loco spem propriè dictam, sed fidem: Uti vox hæc sæpius in scripturis & cum primis in Psalmis usurpatur: Cum spes sit quasi anima fidei. Sic, *in te Domine speravi*, dicit David. Item: *latentur omnes, qui sperant in te*. Rursus: *Totus Israel speret in Domino*.

LXII. Pergit Apostolus ad alteram partem distributionis Christianorum, continentem illos, qui sunt ex gentilismo conversi: *In quo speratis & vos*, & statim addit, quo medio spes illa, hoc est, fides sit excitata in ipsis, nempe *audito verbo veritatis, Evangelio salutis nostræ: in quo etiam, postquam credidistis, obsignati estis spiritu promissionis sancto*. Ubi expressis verbis se explicat, quid per sperare sive spem intelligat, nempe, ut diximus, ipsum credere, & fidem: quæ fides etiam in ipsis obsignata sit Spiritu sancto. Imò v. 15. progreditur ad gratiarum actionem: *Quapropter, inquit, ego cum audivissem eam, quæ in vobis est, FIDEM in Domino Jesu & charitatem in omnes sanctos, non desino gratias agere pro vobis*. Ubi quidem fidem in Christum & charitatem in proximos conjungit, sed simul manifestè distinguit: nempe Fidē ad Christum dirigens, utpote quā Christo inferimur: Charitatem ad proximū, utpote cujus opera propter fidē in Christum Christo & Deo placent & accepta sunt, quia Persona reconciliata & accepta est per fidem. Hinc & fidem in Christum præmittit, tanquam causam justificationis: Et charitatem in sanctos postponit, tanquam consequens & fructum fidei justificantis. Nihil quicquam igitur & hic locus causam Jesuitæ juvat.

63. Secus

LXIII. *Secundo, pergit Becanus, vocatur Justitia, quia per eam reddit homo unicuique, quod suum est: Deo cultum & obedientiam, proximo amorem & obsequium: sibique exclusionem vitiorum & virtutum incrementa Rom. 6. v. 18. Liberati à peccato, servi facti estis Justitia.*

LXIV. Verba Pauli sunt satis clara & intellectu facilia, nempe hortatur Romanos, ut à peccato, cujus in gentiliismo servi erant, abstineant, memores, quòd postquam sint conversi; jamque à peccati servitute liberati, & servi facti justitiæ: Et verò docere Apostolum, fideles esse justificatos infusâ & inhaerente justitia, id ex hoc loco nullo modo & ratione, imo potius contrarium evincitur. Quandoquidem *vers. seq. 19.* his, quos servos factos dicit justitiæ, tribuit *imbecillitatem carnis*: qua facile in pristina flagitia relabi possint. Quæ imbecillitas carnis ipsorum nihil aliud est, quam concupiscentia carnis, quam peccatum definit Apostolus.

LXV. Deinde, quod bene notandum est, *v. 22.* distinguit Apostolus inter manumissionem à peccato, qua servi facti sumus Deo; inter sanctificationem, & vitam æternam. Manumissionem n. non dicit ipsam sanctificationem sive quod per sanctificationem facta sit: sed potius manumissionis, & quod servi facti sint Dei, fructum dicit sanctificationem, quemadmodum vitam æternam, finem. Ut ergo vita æterna non est ipsa sanctificatio, ut finis non est fructus: Sic neque sanctificatio est ipsa manumissio; cum fructus non sit arbor, sive id cujus fructus esse dicitur. Quia igitur certum est, quod manumissi simus per redemptionem filii Dei, & remissionem peccatorum, in qua est & consistit nostra justificatio; utique & hoc certum erit, remissionem peccatorum sive justificationem nostram non esse ipsam sanctificationem; nisi contra Paulum hic florem & fontem sive arborem cum fructu suo confundere, & fructum ipsam arborem dicere velimus.

LXVI. Progreditur Becanus ad tertium nomen, inquit: *Tertio vocatur imago & similitudo DEI 1. Corinth. 15. v. 49. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem cælestis: hoc est, sicut per peccatum fuimus similes Adamo; ita per gratiam & charitatem efficitur similes CHRISTO. Nam, ut idem Apo-*

Apostolus ait, Rom. 8. v. 29. Deus predestinavit nos conformes fieri imagi-  
ni filii sui. Hæc autem imago inscribitur in cordibus nostris, non atra-  
mento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis  
carnalibus.

LXVII. Dicitur 1. Cor. 15. v. 47. nihil agit de donis infusis  
Spiritus Sancti in hac vita, sed de statu hominis post hanc vi-  
tam, ut totus contextus arguit. Sensus ergo hic est: Quem-  
admodum ex patre terreno nati sumus terreni, proindeque in  
animali hac vita gestavimus Adami terreni imaginem, nempe  
peccato adhuc & mortalitati subiecti: Sic & à cælesti illo Ada-  
mo regeneriti, erimus aliquando futuri cælestes, renovandi ad  
imaginem ipsius (nempe Christi) in gloria. Erimus ergo si-  
miles Christo, sed non in hac, sed in altera vita. Ut enim cor-  
pus nostrum animale est per generationem ab Adamo, primo  
patre nostro: Sic idem fit spirituale per regenerationem in  
Christo: Et quidem in hac vita & seculo in nobis inchoatam,  
in resurrectione verò justorum complendam: De qua comple-  
tione & perfectione (ut diximus) propriè loco allegato agit A-  
postolus: Ergo nihil ad rem.

LXIIIX. Sic nihil concluditur ex dicto, ad Rom. 8. vers. 19.  
Qualis enim est consequentia: Deus predestinavit nos conformes fieri  
imagini filii sui: Ergo necesse est, ut conformes fiamus in hac vita. Ea-  
dem sanè est cum hac: Deus predestinavit nos, ut simus heredes vitæ  
æternæ: Ergo necesse est ut vitam æternam possideamus in hoc seculo.  
Sic rursus: Quæ consequentia: Deus predestinavit nos conformes  
fieri imagini filii sui: Ergo justificamur justitia inherente? Cur non  
potius hæc inferatur: Ergo nobis in hac vita remittuntur peccata, ut  
in novitate vitæ ambulemus, & vitam nostram eò dirigamus, ut indies ma-  
gis magisq; imagini filii Dei conformemur: Quod etiam præstare pos-  
sumus, assistente nobis & cooperante Spiritu Sancto, post-  
quam remissa sunt nobis peccata, & reconciliati Deo templa  
facti sumus Spiritus Sancti, in quibus habitat, & varia dona  
per renovationem infundit, quæ varia sortiuntur nomina, ut  
sunt, Charitas, Justitia, Sapientia, veritas &c. quibus median-  
tibus instauramur ad imaginem Dei docente Apostolo, Ephes. 4.  
v. 24. Coloss. 3. v. 10.

LXIX. Tandem in 2. Cor. 3. v. 3. ad quem respicit Becanus ultimis verbis, nihil agit Apostolus de imagine Christi, cui cōformes fieri debemus, nihil etiam de iustitia in hērente, qua iustificamur: Sed de fide Ecclesiæ Corinthiacæ, quam commendat tanquam Epistolam vivam, quam omnes legant: nempe quod restentur Corinthii aperta sua Confessione & vitæ Sanctimonia, se non fictā quadam simulatione, sed ardente zelo fidem Jesu Christi recepisse, proindeq; esse inter Epistolæ ipsius Servatoris Jesu Christi ab se Apostolis subministratæ, & ipsorum ministerio scriptæ, non arramento, sed virtute Spiritus DEI viventis, qui efficacem ipsorum prædicationem reddit; non etiam scriptæ in tabulis lapideis, ut olim lex fuit scripta, sed in tabulis cordis carneis: quod licet per se suaq; natura durum sit atque lapideum; Spiritus Sanctus tam potenti verbo suo molle, & ad salutarem Evangelii doctrinam recipiendam aptum reddiderit: per quam genita est vera fides, & per hanc fidem acceperunt remissionem peccatorum, non per iustitiam in hērentem.

LXX. Quarto (pergit Becanus) vocatur pignus hereditatis, quia videlicet Sanctitas, quam in nobis Spiritus Dei generat, spem certam futura hereditatis nobis facit. 2. Cor. 1. v. 22. Dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Ephes. 1. v. 13. Signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostræ.

LXXI. Quod attinet dictum 2. Cor. 1. v. 22. nihil in eo agitur de iustitia in hērente, sed de promissionum divinarum certitudine, confirmata in Paulo & auditoribus à Spiritu Sancto, qui à Deo datus est pignus in cordibus fidelium & nostris, ut sic confirmati & ob signati per Spiritum Sanctum, eadem semper statuamus, urgeamus, nec inconstanter modo hoc, modo illud asseramus. Quæ ergo Consequentia: Certitudo scientiæ, amplectentis doctrinam Evangelii & promissionem divinam, confirmatur & ob signatur à Spiritu Sancto, tanquam pignore infallibili in cordibus nostris à Deo dato: Ergo iustificamur in hērente iustitiā nostrā? Nulla fanè. Potius contrarium ex loco illo colligitur: Si enim in solo Christo promissiones Dei sunt ratæ vers. 19. & 20. Sequitur, neminem posse implere legem: alioqui si id fieret, certæ etiam essent promissiones, extra Christum. Rom. 8. v. 3. Gal. 2. vers. 16.

Nulla igitur sunt hominum merita, cum omnia Dei promissa & sola misericordia, Christum intuente, & non à nostris operibus vel justitia habitualiter inhaerente dependeant.

LXXII. Idem statuendum est de loco *Eph. 1. v. 13.* Docet enim Apostolus, Sermonem Evangelii, & ejus virtutem penetrasse Ephesiorum corda, ut doctrinam de Servatore Jesu Christo, certissimâ fidei assensione complecterentur, fidesq; in promissionibus divinis de hæreditate vitæ æternæ acquiescens, in ipsis obsignaretur Spiritu Sancto, tanquam arrhabone hæreditatis bonorum æternorum ac cælestium. Est enim Græcum *ἀρραβὼν* ex Hebreo translaturum, à radice *אָרַב* quod est spondit, promisit, sive id fiat dono aliquo, sive parte precii solvata. Ita Deus justificatis & renatis dat Spiritum Sanctum, tanquam arrham reliquæ gloriæ & cæterorum bonorum, quæ non in hac, sed in altera vita demum nobis sunt expectanda. Quæ ergo rursus est consequentia: *Spiritus Sanctus justificatus & renatus datur tanquam arrha obsignans promissionem bonorum futurorum: Ergo Spiritus Sanctus est justitia inherens, qua justificamur?* Stulta, & nulla est. Quomodo enim consequens erit constituens? Hæc obsignatio est Consequens justificationis, uti patet.

LXXIII. Quintò (dicit Becanus) vocatur semen Dei 1. *Joh. 3. vers. 9.* Omnis, qui natus est ex Deo, Peccatum facit, quia semen ipsius manet in eo: Nam sicut ex semine, quod in terram projicitur, non solum arbores, sed & fructus proveniunt, ita ex gratiâ & dono Spiritus Sancti, qui diffunditur in cordibus nostris, nascuntur bona opera in vitam æternam. Hoc clarius expressit Christus alia voce, qua usus est, *Johan. 4. v. 14.* Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aque salutis ad vitam æternam. Quis est ille fons, qui in visceribus animi nostri tam altè salit? Gratia & charitas. Hanc qui habet, fontem & scaturiginem bonorum omnium habet, etiam vitæ æternæ.

LXXIV. Semper Bellarminus supponit, quod in controversia est. Negamus nos, charitatem illam, quæ diffunditur & effunditur in cordibus nostris, esse qualitatem nobis inhaerentem, sed esse charitatem Dei erga nos, uti etiam ipse Apostolus eam explicat. *Rom. 5. v. 8.* vide supra disp. 4. th. 56. & seq. Semen ergo, quod est in nobis, non est ipsa gratia & charitas hoc

nomine insignita, sed effectus ejus: Vocat ergo Semen DEI ipsum Spiritum Sanctum habitantem in cordibus fidelium, & verbum fidemque & consequentem renovationem, legemque digito Dei cordibus inscriptam: quod etiam novum & spirituale cor & nova creatura in Christo vocatur. Hæc ergo Dei semina, & ipsa natura, quæ per illa sanctificata est, & denuo per regenerationem à Deo condita resistit peccato. Non ergo hic agitur de causis justificationis; sed de causis, quarum virtute justificatus peccatis contra conscientiam resistat & non peccet.

LXXV. Deinde fons ille vitæ, de quo concionatur Christus. *Johan. 4.* Est nihil aliud, quam exuberantia divinæ gratiæ, & infiniti meriti Christi plenitudo, sicut scribitur. *Joh. 1. v. 14.* De plenitudine ejus omnes accepimus gratiam pro gratia. Nam lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum exorta est. De plenitudine ergo ejus quando accipimus, quod fit per justificationem & imputationem Justitiæ Christi, fit fons in nobis saliens in vitam æternam: Nempe quo continua irrigatio notatur, quæ in hac mortali & caduca vita cælestem in justificatis æternitatem fovet. Sicut enim is siti exardescere nunquã posset, qui fontem in visceribus haberet, continuo scaturientem & patentem: ita saturum esse oportet bonorum omnium, & præsentem semper in omnibus habere consolationem, qui imputatam justitiam & meritum Christi, proindeque remissa habet peccata: quippe quæ Christi gratia non ad breve in nos fluit tempus; sed ad beatam usque immortalitatem diffundit: quia fluere non desinit, donec vita incorruptibilis, quam inchoat, suis omnibus numeris constet. Fons ergo hic gratiæ non est rursus inhærens justitiæ sive charitati, sed gratia DEI, & imputata justitiæ Christi, ejusque meritum.

LXXVI. *Sexto* (addit & concludit Jesuita) vocatur vestis nuptialis. *Matth. 22. v. 12.* Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Sicut enim qui ad nuptias invitati sunt, vestem loco illo dignam gestare debent; ita qui ad coenam agni vocantur, dono gratiæ & charitatis ornatos esse oportet. Huc spectat illud *Luc. 15. v. 22.* Proferte stolam primam & induite illam.

LXXVII. Falsa rursus nititur hypothesis Jesuita, interpretans vestem nuptialem de inhærente gratia; cum ea significetur Christus. Christus n. est vestis illa nuptialis, quæ coram patre cōsistimus, juxta illud Pauli Gal. 3. v. 27. *Quotquot vestrum baptisati estis, Christum induistis.* Hac veste nos indutos in regno Dei versari oportet: Illâ enim, pudenda ista nuditas, in quam primus noster pater incidit, sordesq; peccatorum nostrorum ita teguntur, ne imputari queant, sed condonentur, *Psal. 32. v. 1. Rom. 4. v. 7.* Objiciunt alii: Quis sine fide & Christo hæc nuptias intravit? Quare hæc vestis aliud aliquid est. Expedita responsio: Omnes intrant, qui baptisantur, in Ecclesiam, externa professione & specie, fiuntq; palmites & membra Christi, licet steriles & infrugiferi: quare id agitur, ut verâ fide Christum, verè induant, non tantum externa specie.

LXXVIII. Sic stolam primam, de qua in parabola de filio prodigo *Luc. 15.* quod attinet, vis articuli, qui hic præponitur, observanda est: Dicitur enim *τὴν σὸλῶν τὴν πρώτην*, id est, stolam illam primam, ut intelligamus, non de qualibet hic veste agi, sed de certa quadam & eximia. Annulo enim & calceamentis non præponitur articulus Græcus. Metaphoricè igitur stola non significat gratiam inhærentem sive charitatem, sed preciosissimam vestem illam, Christum, ut interpretatur Theophylactus: *Per servos, inquit, intellige Sacerdotes, qui conversos per baptismum & verbum doctrinæ, induunt, & induunt nos Christum, stolam primam. Quicumque enim baptisati sumus in Christum, induti sumus Christum.*

LXXIX. Hactenus fuit secundum argumentum Becani, sequitur tertium: quod proponit §. 9. his verbis: *Tertium argumentum sumi potest ex illo Rom. 12. v. 5. Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Et I. Cor. 12. v. 11. Vos estis corpus Christi, & membra de membro. Hinc ita argumentor: Vivâ membra non tantum habent vitam & vitales operationes in suo capite, sed etiam in se ipsis, ut per se notum est; quia anima, quæ vita corporis est, non in solo capite, sed in singulis membris existit & operatur. Atqui homines justificati, sunt viva membra sub capite Christo, ut constat ex allatis testimoniis. Ergo homines justificati non tantum in Christo capite, sed*

In seipsis quoque vitam & vitales operationes habent. Quae autem haec vita est, nisi iustitia, gratia, sanctitas, quam Spiritus S. diffundit in cordibus nostris? Et quae istae vitales operationes, nisi bonorum operum exercitia? Nec est, quod quisquam pro Calvino objiciat, vitam illam, quae spiritualiter vivimus sub Christo capite, non aliam esse, quam fidem, juxta illud, Rom. i. v. 17. *Iustus ex fide vivit.* Non enim agimus de instrumento, quo vitam acquirimus, quod Calvino est sola fides, ut infra videbimus; sed de principio, quo formaliter vivimus, & viva membra constituimur, quod sine dubio est donum gratiae, iustitiae, sanctitatis, quo à Spiritu Sancto donamur & vivificamur.

LXXX. Primum, quod argumentum spectat, totum illud concedimus. Sic explicationem vitae, quod sit iustitia, sanctitas &c. Et hanc ipsam concedere possumus. Nam fides per charitatem ex efficax, & ejusmodi novam vitam in nobis producit, à qua postmodum bonorum operum exercitia proveniunt. Quod attinet dictum ex Habacuc allegatum, loquitur illud nequaquam, ut vult Becanus, de instrumento novitatis vitae sive renovationis in hoc seculo, sed de instrumento acquirendi remissionem peccatorum in hoc, & vitam in futuro seculo, hoc est, vitam aeternam. Sic enim hunc locum interpretatur Ambrosius. *Propterea, inquit, ad exemplum Prophetae Habacuc se convertit, ut declararet, olim ostensum, iustum ex fide non ex lege vivere, hoc est, non justificari hominem apud Deum per legem, sed per fidem. Vita enim ex fide non haec praesens est, sed futura: Quia iustus ex fide vivit sed apud Deum.*

LXXXI. Porro: distinguere possumus inter principium, quo formaliter constituitur iustus, & quo formaliter & actu novam vitam vivat iustus. Formale principium justificationis est fides: Formale principium renovationis ac novae vitae, nempe in quo consistit illa novitas vitae sive nova vita, sunt dona illa gratiae, iustitiae, sanctitatis, quae, quatenus gratiae dona sunt & Deo placent, proveniunt à fide, hoc est, à fidei cooperante Spiritu S. tanquam à causa efficiente, non tanquam à causa formali. Nam charitas, sanctitas, iustitia inherens sunt effecta fidei, sive fidelis, quatenus fide praeditus est. Quare hoc argumento plane nihil contra nos disputat Becanus.

LXXXII. Tandem concludit Jesuita disputationem de inherente iustitia



justicia §. 10. his verbis: simile argumentum fundatur in illis Christi  
verbis, Joh. 15. v. 4. Ego sum vitis, vos palmites. Manete in me & ego in vo-  
bis. Sicut palmes non potest ferre fructum à seipso, nisi manserit in vi-  
te; sic nec vos, nisi in me manseritis. Christus non solum caput est, nos  
membra, sed etiam vitis est, nos palmites. Sunt autem duplicis generis  
palmites in vite. Quidam aridi, mortui, exsuccati, qui fructum non fe-  
runt, quia licet in vite sint; non tamen vitis in illis est, id est, non tribuit  
illis succum & humorem vitalem. Alii, contra, florentes, vivi, succulenti,  
frugiferi, qui non modo adherent viti, sed ab ea vitam quoque & humorem  
trahunt. Similiter fit in fidelibus. Alii quidem Christo adhaerent per fi-  
dem; sed quia succum vitalem ab eo non trahunt, bene operari non pos-  
sunt, quos apostolus, ad Tit. 3. vocat infructuosos. Alii & fide conjuncti  
illi sunt, & humorem gratiae ac sanctitatis ab eo participant. Ideoque ut idem  
apostolus. 1. Tim. 6. & ad Phil. 2. loquitur. Divites sunt in operibus bo-  
nis, & cum metu salutem suam operantur. Hoc ergo est, quod contendit  
Christus, neminem posse rectè agere, nisi spirituales illum infuse sanctitatis  
humorem in se conservet, à quo honorum operum fructus omnis proficiscitur.

LXXXIII. Totus hic discursus nihil quoque contra nos con-  
cludit, proindeque rursus pugnat Jesuita sine adversario. Quando-  
quidè largà manu damus, renovationē consistere in infusis donis.  
De eo a. non volvitur quæstio, sed de formali justificationis cau-  
sa: quæ perfectissima esse debet: imperfecta cū sint illæ qualita-  
tes, illa justitia, sanctitas, charitas &c. Et in ipsis renatis. Imo quæ  
renovationis & sanctificationis causa esse nequeant, nisi sint in  
justificato, & à fide proficiscantur, eaque sanctificentur. Duplex n.  
bonorū horū est bonitas, Legalis & Evāgelica. Illa quādo sola est,  
à Deo nō curatur, quando fidē cōjunctā habet, atque sic bonitatē  
quoque Evāgelicā, proindeque ex fide proficiscuntur, verè bona cē-  
sentur in cōspectu Dei. Quādo n. Persona Deo per fidē in Chri-  
stū recōciliata est, tum quoque opera legalia ab illa profecta Deo  
grata sunt. Aliàs manet certū & firmum axioma Apostolicum:  
Quicquid non est ex fide, peccatum est. Et, nemo sine fide Deo placere potest.

LXXXIV. Notandum autem est, quod dicit Jesuita,  
alios inherere Christo per fidem & ab eo succum vitalem non trahere. Si  
intelligit fidem historicam, concedimus; de fide autem salvifi-  
ca falsum est. Distinguendum ergo est, inter illos, qui sunt  
palma.

palmities ac membra Christi externa tantum professione & specie, & inter palmities & membra, quæ sunt tales per fidem veram & salvificam. Illi neque succum vitalem à Christo trahunt, neque bene operantur. Hi verò non sunt sine charitate, sanctitate, justitia &c. proindeq; bene operantur.

LXXXV. Tandem, quod attinet dictum ex, *Phil. 2. v. 12.* allegatum, illud quidem Pontificii ad justitiam operum stabilendam detorquent, quasi operando consequamur vitam æternam: Verum committunt fallaciam phraseos. Nam κατεργάζεσθαι τὴν σωτηρίαν, non significat hic mereri salutem aut operibus justificari aut servari, sed in vera Christi gratia perseveranter ad portum salutis pervenire. In quo etiam sensu verbo hoc ἐργάζομαι ipsemet Christus *Johan. 6. v. 27.* utitur, dum, jubet nos operari panem non pereuntem sed vivificum & celestem: Id verò mox interrogatus interpretatur esse, credere in se, qui verè sit panis tum celestis tum etiam vivificus. Quare hac locutionis formula monet Paulus Philippenses, ut in fide semel inchoata, & quæ hanc sequitur, nova obedientia, constanter perseverent, nec sint securi, quasi penitus debellatum sit, sed cum timore & tremore omni animi contentione huc elaborent, ut peccata, quibus fides extinguatur, vitent; & militent bonam militiam, retinentes fidem ac bonam conscientiam.

*Hactenus de prima parte Questionis secundæ,  
nempe de Justitia inherente.*

F I N I S.

99 A 6900

ULB Halle 3  
002 622 092




SB

Repro

VD 77







23

II SECUNDI  
m Confessionem

ATIO VIII.

ontinens

ARTICULI IV.

ÆSTIONE

ali five inhæ-

ia coram DEO

cemur,

*posita*

Academiâ VVittebergensi,

SIDE

ARTINI, SS. Th.

Primario, Facult. Theol.

mpli Arcis Præposito:

ONDENTE

E MALICHIO

vergâ Pomerano.

ditorio Collegii Veteris

em 30. Augusti.

EBERGÆ,

OMONIS AVERBACH,

M DC XXIX.

